alter enim confusio, et turbatio rerum pulchritudinem ordinis obscuraret. Haec autem personarum reverentia, et fraterna urbanitas, quo magis in aliquot religionibus arbitrio cuiusque permittitur, eo cumulatius urbanitas, et reverentiae esse debent omnes alius, ut dixit Paulus (Ro. 10.) : *Inveniem honore praeventientes*. Convenit huic rei, de qua loquitur, quod narrat Innocentius III. in lib. 2. de miseria conditionis humanae, iniquus, Regem quendam in throno coronam capite, et sceptrum manu tenentem fuisse a quodam Philosopho adoratum tanquam Deum, ac subinde Philosophum ad Regis solum consendentem eidem Regi assedisso : quem ille cum propter inurbanitatem, et insolentiam obiurgasset, respondisse dicitur Philosophus : Vel tu Deus, vel homo es, o Rex : si Deus, iam te adoravi genitexus : si homo, non facio iniuriam tibi assidens : nec enim terra erubescit, quod alia terra prope ipsam sit, et pulvis pulveri adhaerent. Cui Rex sapientius subiecit, argumentum Philosophi contra ipsum ita retorquens : Vel ego sum homo, vel Deus : si homo, peccasti me adorans ; si Deus, assidere non debes, cum nulla sit inter Deum, et hominem aequalitas. Quo sapienti responso Philosophus elusus erubuit : aequum enim iudicium Dei est, cum aliquis in hoc genere nimium protervus, et ambitiosus est, ut qua ratione putat altius extolli, humiliter deprimatur, et honorem, quem amebat, amittat : nam, ut scripsit Paulus (ad Ro. 13.) : *Quae sunt a Deo ordinata sunt, etiam quatenus naturae conditor est : cernimus enim iuxta cuiusque elementi qualitatem fuisse locum singulis assignatum : terrae quia gravi, infimum ; igni supremum : aeri, et aquae minus, quam terra gravibus ; nec ut ignis levibus, medium : quem ordinem in orbibus coelestibus pariter servatum animadvertimus ab ultimo usque ad primum mobile, et in Angelis usque ad Seraphim, quibus reliqui spiritus subordinantur*. Itaque nec inter elementa, coelos, vel Angelos, et multo minus inter ipsas divinae naturae personas ulla confusio est, immo tum creator, quam creaturae locum, et ordinem conservant, nec alterius limites transgrediuntur. Quae rerum constitutio, et ordo adeo illarum auctori, dum illas creabat, placuit, ut de singulorum bonitate sibi complaceret, sicut constat ex illis verbis (Gen. 1.) : *Et vidit Deus lucem, quod esset bona ; et paulo post : Congregationes aquarum vocavit maria, et vidit, quod esset bonum ; at cum omnium creationem perfecisset, ait de illo sacer textus : Vidit cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*. Itaque singula erant bona, omnia tamen simul erant optima : non quidem propter singularitatem, sed propter unionem, connexionem, et bonum ordinem, quem inter se omnia connexa rotinebant. Quem ordinem, etsi ethnicus miratur Cicero his verbis : *Cum tam certis coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tanquam inter se omnia connexa considero, in amorem artificis totus accendor*. Sed ut

clarius videatis, quam gratus Deo sit rerum ordo, et harmonia, et quam daemones perturbations, et confusions amantissimo displiceat, meminisse oportet, quod Scriptura narrat de Propheta Eliseo, qui cupiens Spiritum Dei ad se venire, et eius copioso imbri irrigari, iussit sibi offerri citharaedum, cuius audito suavi concentu, ut ait Scriptura : *Facta est super eum manus Domini*. Haec historiae si addamus illam Saulis, quando spiritu malo vexabatur, et petentibus eius famulis David citharam pulsabat, ad cuius harmoniam Saul spiritu liberabatur immundo, *Et recedebat ab eo spiritus malus*, intelligemus manifeste, magnum esse concordiae vim, ac multo etiam, quam cuiusvis musicae harmoniae sono dulciorem, et vehementiorem. Sunt qui putant hoc miraculum fuisse factum non cantu, vel sonitu, sed oratione, et prece Davidis. Iosephus autem, et Burgenis (super eundem locum) aiunt, ordinem, ac proportionem vocum, ac soni tantam habere vim, ut absque aliquo peculiari miraculo valeat profligare daemones. In cuius confirmationem narrat glossa ordinaria, cithas Boetium rei auctorem, quod suavitate cantus quidam Philosophus ab humano corpore immundus spiritus eieciat. Si vero procenteris causam, ob quam Deus attrahitur musicis, eisdem malus spiritus abigitur, ut ex his, quae retulimus, constat, nulla certe alia reddi potest, nisi musicis concentus, ordinis, et convenientiae sonitus, ac vocum, ex quibus dulcis fit harmonia, quae Deum ordinis amantem attrahit, et daemones ordinis inimicum et osorem exterminat. Sed quoniam iam vidimus, quibus in rebus unio fraterna possit imitari eam, quae inter divinas personas est, operae pretium erit nosse fructus, qui ab hac animorum conformatione nascuntur, ut sic illam avidius, et diligentius exquiramus, et conservemus. Tres mihi se offerunt, et quidem singulares fructus, qui ab hac voluntatum unione proveniunt, quos amoris imago, prout veteres pingebant, expressit. Pingebatur enim oculis captus, digito labium compescens, erumenam habens non clausam, auro plenam, et a zona pendentem. Primum caecus figurabatur, quoniam oculos non habet ad videndos proximi defectus : os digito premens, quoniam nescit loqui adversum fratrem suum : marsupium apertum erat, quoniam amor munificus, et profusus est erga dilectos. Hi sunt fructus, et effectus fraternae concordiae, et charitatis, nunc de singulis nonnulla dicamus. Notissimum est quod ait Paulus (1. Cor. 13.) : *Charitas non cogitat malum* : non enim temere de fratre iudicat, sed illum potius, quibuscumque potest rationibus, excusat. Depravatae autem naturae nostrae vulnus, et lues antiqua est, ut semper fratrum nostrorum facta, vel dicta in sinistram partem accipiamus, quod praeter alia probat Rachelis, et Samsonis exemplum : nam cum illa patri suo Laban idola furata fuisset, Laban a genero suo Iacob sublata fuisse suspicabatur ; et quando Samson uxore ducta

abfuit a domo soceri, hic putavit abuisse Samsonem sponsae suae taedio ductum, ideoque ab ipso deseratam ; quod adeo sibi verum esse persuasit, ut filiam suam ac Samsonis sponsam alteri locaverit. Convenit per quam optime huic proposito, quod Hieronymus scribit de quodam monacho nomine Isaac, qui cum de alio monacho temere super quodam gravi peccato iudicasset, et paulo post ille, de quo iudicium tulerat, obiisset, animam eius ab Angelo custode ductam ad se venisse, et his verbis ab Angelo fuisse compellatum, ecce a Deo ego venio Isaac, ut sententiam feras, coelum ne, an infernum mercator haec anima, de qua tu prius temere iudicasti. Respondit Isaac, dolore compunctus, Davideum versiculum : *Peccavi Domine, miserere mei* ; quem ita dolentem, et poenitentem Angelus admonuit cavere ne in iudicandis proximis esset praecipuus in posteriorum, sed linguam pariter, et mentem freno rationis, et iustitiae moderaretur. Nullum igitur remedium est ad fugiendum hoc damnum, nisi communis fratrum concordia ; nam charitas non cogitat malum, et existens valde perspicax, ad aliorum delicta temere reprehendenda, et notanda lippire quodammodo et oculis carere videtur. Digitus ori admodum denotabat in amoris imagine qui vere eum diligit, nunquam loqui ad proximi offensionem, quo fracta Sponsa in caulis fruebat, cum dixit et Sponsa (Cant. 4.) : *Labia tua sicut vitae cocineae*. Quae similitudo laborum, et vitae cocineae apta minne et convenientis aliquid forsasse videbitur, quoniam vitia ligandis capillis magis, quam labiis apta esse videtur : convenientissima tamen est metaphora, ad indicandam verborum Sponsae naturam, ordinem, et mirabilem convenientiam : nam sicut vitia ligamentum est, quo antiqui circum caput, vel crines vel serla, vel flores, aut aliquid aliud religabant ; sic nexu, ac vinculo charitatis, quae insinuat per vitam cocineam, sive purpuream, non modo Sponsae sermones, sed opera quoque illa coercentur, ut nullum ab eius ore verbum contra proximum, et fratrem imprudenter, vel inconsiderate egrediatur, comprimente labia retinaculo charitatis, quam, ut dixi, color vitiae cocineae, et igneus ostendit. Quamobrem cum nil dicatur, quod prius non cogitetur, et charitas, teste Paulo, non cogitat malum : qui veram charitatem habet, non aperiet os suum adversus proximum suum, quod etiam amoris hieroglyphica figura silentium indicens, digiti ad os appositione monstrabat. Marsupium denique a latere pendens pecunia referunt, et patens, indicabat tertium effectum amoris, et fraternae charitatis, quae nescit renuere petentibus, sed iuxta Pauli verba : *Per omnia omni placere studet* : qua in re divinus Apostolus, sicut in ceteris, excelluit. Notabis vocem illam Pauli, *per omnia* ; quasi dicat, nemo venit ad me, qui petitionis repulsam patiat, dummodo petat, quod sine Dei offensione facere queam : sic enim petentibus semper annuo, et praesto sum. Nec tantum di-

xit Paulus *per omnia*, sed addidit, *omnibus placeo* : ac si dicat, non privatum huius, vel illius secto amicitiam, non respicio personas, sed legem amplector charitatis, cuius viscosa erga omnes sine discrimine ardescent, et patenti ; neque id hoc, vel illo modo, vel in hac, aut illa re, sed in omnibus ad salutem animarum convenientibus, accurrat, et auxiliatur. Quod certe Apostolus ita faciebat, quoniam noverat nullam graviorem esse iacturam, vel damnum perniciosius in vita spirituali, quam quod provenit ab amoris, et charitatis defectu, ideoque Paulus illam diligenter conservare, et semper augere erga proximos procurabat. Legimus in libro secundo Machabaeorum, sacerdotes populi Dei, quando a Persis captivi ducti fuerunt, cum templum fuisset ab hostibus occupatum, et omnis suppellex arrepta, sacerdotum Deo ignem ad altari accepisse, quem absconderunt in valle, ubi erat puteus altus, et siccus. Quo sacerdotum facto S. Ambrosius (in lib. de officiis) dicit, mirabiliter nos doceri charitatem, et eius conservationem, quae per ignem denotatur, ique a nobis ante omnia curandum. Quamobrem perit voluptas, perit furum, et omnis commoditas, ac tandem quicquid mundus appetit, dum valeat, et ardeat ignis amoris, et fraternae charitatis. Ab hac enim una, et sola servatrice religionis pendet augmentum, et salus eorum qui vitam profecturam religiosam. In eorum rei confirmationem memini eius, quod Plato refert de Daedali status ; quos ait persistisse ineluctum vi eiususdam nexu, quo remisso titubabant, et conciderunt. Nemo est quem lateat, amorem esse vinculum, quo amantium animae iunguntur, ideoque intendam nobis est, ne hic nexu laxetur, sed in dies magis astrigatur : nam si remitti coeperit, laxabitur pariter, et remissior fiet disciplina religiosorum, et quod peius est, non amplius in eis tanquam in suis templis Spiritus sanctus habitare dignabitur : quoniam quemadmodum anima, ut vitam praebeat corporis membris, necesse est illi esse unita, nam si manus, vel pes a corpore dividantur, vitae quoque beneficio privantur ; sic Dei Spiritus, ut membra mystici corporis, et religiosae cuiusvis communitatis vivificet, necessarium est, non esse disincta, sed mutuo voluntatum nexu cohaerentia. Quod expressum legitimus apud Ezechielium in ossibus mortuorum, quae prius ad corpora sua volarunt, ut vitae spiritum occuparent, et revivescerent : Ezechielis verba sunt : *Ossa ad ossa, unumquodque ad invicem suam, et ingressus est in ea spiritus, et revivuerunt, steterantque super pedes suos*. Non ignoro sanctum Augustinum (in libro super Gen. ad interprete.) et sanctum Ambrosium (in libro de fide resurr.) nec non Gregorium Nazianzenum (in orat. de resurr. Dom. 13.) ; hunc locum explicare de vita, quam corporis humani ossa recipiunt in communi omnium corporum resurrectione per hunc divinum Spiritum, de quo Paulus inquit : *Qui suscitavit Iesum a mortuis, vivificabit vos propter inha-*

bitantem Spiritum eius in vobis. Sensus tamen allegoricus convenienter, et optime accommodatur Spiritus sancti adventui in die Pentecostes: primum, quoniam tempore, quo vitae spiritus ossa intravit, factus est, ut dicit Ezechiel, sonitus: et similiter Spiritu sancto super Apostolos veniente legitur: *Factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.* Et quemadmodum tunc ossa divisa, et per varias partes dissipata ad iuncturam, et articulos suos redierunt; sic Apostoli, qui timore mortis Christum reliquerant, ad propria diffugientes, ut praedictum fuerat a Christo, *Venit hora cum dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis;* sic omnes Apostoli ad eundem locum convenierunt ad divini Spiritus receptionem: *Erant enim, ut ait Lucas, omnes pariter in eodem loco.* Quod autem per ossa intelligimus Apostolos, rationi consonum est: nam sicut ossa sunt quasi columnae corporis, quibus innititur; sic Apostoli Ecclesiae sustentacula, et firmissimae columnae sunt. Veruntamen quoniam ossa haec erant arida, id est Apostoli, Deus illis impertivit virorem, quo germinarent, ut praenunciaverat Isaias: *Ossa vestra, quasi herba germinabunt.* Et quia eadem ossa nuda erant carno, ac nervis carentia, inducit idem Spiritus nervos, et pellem, id est fortitudinem et constantiam: sicut Deus olim promiserat, iniquis (*Eze. 37.*): *Dabo super vos, et succrescere faciam super eos carnes, et extendam in vobis cutem, quae lecti, et muniti, verbum Dei apud omnes intrepide promulgantur, ut testatur Lucas (Act. 4.): Virute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Ac tandem velut ossa illa, ut ait Scriptura, *unumquodque ad innetarum suam accesserunt,* et illico ingressus est in ea spiritus, et reverterant; sic intra coenaculum commorantibus Apostolis, et pariter tam corpore, quam animo concinens magna gratiae plenitudine divinus hic Spiritus infusus fuit.

Porro antiquum proposito argumento concordem imponam: silentio non praeteribo, inter alia quae unitatem animorum, et mutuum charitatem fratrum in religione acriter perturbare solent, praecipuam ambitionem esse, ut his verbis testatur D. Bernardus (*de consid. ad Eugen.*): *O ambitio ambientium cruz, quomodo omnibus placeat, omnes torquet, nihil aerius cruciat, nihil molestius inquietat?* Novi ego non paucos in religione istar ventorum inquietatae naturae qui semper sursum ferri desiderant. Unde etiam experientia videmus, quod ventus intra terrae viscere delitescens adeo quietis impatiens est, ut terram concinens eam aperiat, et accendat. Ita quidam in religione inquieti adeo, et ambitionis vento agitati reperiuntur, ut licet in cavernis terrae, hoc est, sub religionis clausura demorentur, promovendi, et exaltari cupientes illam abruptant, divisiones, et scissuras, quas Apostolus detestabatur, in eadem religione faciant, ut ipsi aliis praefiantur. Haec pugnam inter hos eiusdem religionis admissim video tanquam in vera imagine ex-

pressam esse in lucta illa Iacob, et Esau, in eodem matris utero adhuc existentium, qui adeo inter se rixabantur, contendens unusquisque prior egredi, ut prae dolore quasi iamiam videretur deficere mater, sed tandem in pugna victor evasit pilosus Esau. Non dissimiliter contingit, quod filii eiusdem religionis inter se de praecedentia, et de praelatione ita acriter contendant, ut matrem ipsam (religionem intelligo, aut communitatem) graviter contristant, et conturbent, ut non immerito illis dici possit illud Baruch (*Baruch 4.*): *Excavabitis eam, quae nutrit eos, et conturbabitis Hierusalem nutricem vestram.* Et quod valde lugendum erat, tandem Esau reprobatiss a Deo, ille scilicet, qui nullis meritis, sed multis demeritis onustus est, perperam viris doctrina, et integritate morum conspicuus praefertur. Quod non semel accidero solet, propterea quod velut Esau qui rubrum, et pilosum significat, quod viciate, et doctrina oblinere non poterant, corporis venustate, et decore, aut munerum copia comparare poterunt. Tandem, ut paucis multa, quae in genere argumenti dici poterant, comprehendam, cum nihil cum fraterna charitate, et animorum unitate acriter pugnet, quam crudelitas, quia *charitas benigna est,* ut ait divus Paulus (*1. Cor. 13.*), et nihil crudelitatis ambitione excogitari possit, manifeste efficitur, unitatis animorum, et fraternae charitatis infestissimum hostem esse ambitionem. Porro hanc immanissimam, et crudelissimam semper extitisse, si tam ad sacra, quam profana litterarum monumenta mentis acrium parumper convertamus, haud difficile erit deprehendere. Antonius Severi Imperatoris filius fratrem suum infantem matris ubera sugentem pugione confodit, ut solus imperio frueretur; et Agrippina Neronis Imperatoris mater, cum ab insigni quodam Astrologo futurum esse, ut si filius eius Imperii coronam obtinisset, ab ipso foro occidendam audiret, respondit, *occidat, et imperet.* Et ut refert Nicolaus de Lyra (*in cap. 14. Isaiæ*), filius, qui successit Nabuchodonosor regi, timens, ne pater eius iterum suscitaretur, sicut sibi videbatur, suscitatum fuisse, cum in campestribus velut essera hostia errans, postea ad imperii gloriam rediit; id inquam timens, ne ipse imperio spoliaretur, cor patris in minutissimas concidens partes vulturibus devorandum obtulit. Quid plura? Sacrae litterae testantur, Abimelech regnandi appetitu sic in fratres suos ira exarsisse, ut septuaginta interfecerit, ut securi-virum regno potiretur. Et Athalia, prout habetur (*4. Reg.*) ut absoluta esset et sine consorcio regi domina, universam regiam prolem penitus extinxit. Absalon deinde quis ignorat patrem expugnasse, et infestissimum ei hostem extitisse, ut regnum ab eo extorque- ret? Herodem etiam novimus infantium sanguinem immaniter effudisse, ne per quempiam eorum postea a regno deturbaretur. Sed omnia supra enarrata mirum in modum sperant primum ex historiis profanis mutatum: nam ut refert Fulgositus, adeo Caligulae ambitio-

exercerit, non solum in homines, sed in Deos suos acriter adeo exandesceret, ut omnium illorum simulacra decapitaret, et singulis singula capita vultum ipsius Caligulae referentia insereret. Secundum ex Evangelica historia factis erit addacere, cum Pilatus ambitionis morbo laborans auctorem vitae occidit: audiens enim (*Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*) ne terrenum Imperatoris gratiam amitteret, gratiae datorem perdidit. Cum igitur ambitio adeo immanis sit, et crudelis, nemo ambigere potest, charitatis fraternae, quae, ut ait divus Paulus, *Benigna est,* ut supra dicebam, acerrimam adversariam, ut sic adeo a religione longe esse relegandam, ut sic religiosi, a relegando dicti, inter se, et cum Christo in dies magis relegerentur. Cui sit honor, et gloria, etc.

HOMILIA UNDECIMA.

Apostolos in die Pentecostes fuisse in gratia confirmatos, et magnam esse huius confirmationis Apostolicae convenientiam cum ea quae fit per sacramentum confirmationis.

Theologorum communis sententia docet, Apostolos per adventum Spiritus sancti fuisse gratia confirmatos, et in ea confirmatos; cuius sententiae fundamentum a Christi verbis accipitur, quando illis promittens Spiritum sanctum, dixit (*Joan. 14.*): *Ut maneat vobiscum in aeternum.* Immo et doctissimus Cardinalis Bellarminus in controversia sacramenti confirmationis ait, Apostolos sacramentum confirmationis non accepisse, sed a Spiritu sancto sine aliquo charismate materiali absoluta sua potestate confirmatos, et sacri christamati vel confirmationis effectibus commulatos multo excellentius quam fideles, qui confirmationis sacramento muniuntur. Nihilominus tamen idem voluit Spiritu mirabilem illam, et internam eius unctionem, sive confirmationem assimilari ei, quam per sacramentum imperitit Ecclesia, in qua similitudine et convenientia demonstranda praesens homilia versabitur. Sacri doctores communiter aiunt, discrimen quod inter infantulum vel iam adultum, seu virum est, idem quoque inter baptizatum, et postea confirmatum reperiri: ille namque in aetate infantili imbecillis, hic iam in virili robustus, et validus est. Unde ante Spiritus sancti adventum considero, et contemplor Apostolos, quasi pueros, et infantes: illa enim eos Deus vocavit per Zachariam (*Zach. 13.*): *Convertam manum meam ad parvulos;* et postquam confirmati, et uncti fuerunt, video illos non amplius parvulos, sed ablactatos, et instar adultorum duro pane vescientes. Ideoque hodierna dies magnam nobis debet, ingentemque afferre laetitiam: siquidem ut quondam, *Fecit*

CARTHAGENA DE SS. CHRIST. DOM.—Vol. IV. P. II.

Abraham grandi convivium in die ablactationis Isaac filii sui. Ecclesia catholica, quae in Christi discipulis erat eo tempore parvula, et recens nata per lavacrum regenerationis, inungitur chrismate, confirmatur, et ablactatur, sicut repente adulta, et virago fortis; nam et portae inferi non praevalebant adversus eam. Veruntamen, ut facilius persuadeamus quod propositimus, de convenientia confirmationis Apostolicae, et sacramentalis, prosequi iam incipiamus, a loci circumstantiarum auspiciantibus: invenio namque sacros Apostolos in eodem loco fuisse confirmatos, in quo Christus confirmationis sacramentum instituerat, videlicet in coenaculo, quemadmodum S. Cyrillianus (*in sermone de unct. chrisma*), et S. Thomas (3 parte) scribunt, quibus accedit Papa Fabianus, qui testatur: *Iesus postquam coenavit cum discipulis, et lavit eorum pedes, chrisma conferebat decuit.* Conveniens autem fuit eo tempore a Christo institui hoc sacramentum: nam cum finis eius sit in fide roborare, ac per excellentiam Eucharistiam dicatur *mysterium fidei*, sicut ipse docuit, ille tunc stabili confirmacionis sacramentum maxime conveniebat. Sed ingredienti iam intima, et quae sunt de natura confirmationis sacramentalis, et caeremonias, ac effectus eius discutientes, inveniemus mirificam inter illam Apostolicam, et nostram sacramentalem esse concordiam myseriorum. Materia sacramenti confirmationis est unctio, seu chrisma, quod est balsamo, et oleo fit, ut constat ex concilio Florentino in unione Armenorum, ubi sic legitur: *Cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae fame.* Haec unctio non defuit Apostolis; siquidem in hac die Spiritus sanctus unxit eos chrismate suorum doctorum septem, videlicet, gratia sepliformi, quae tam mirabilis virtutis est, ut quemadmodum balsamum humanum corpus a corruptione, et oleum a rubigine praeserval ferunt, sic illa unctio interna, et spiritalis septem templi dono gratiarum illos ab omni peccati mortiferi corruptione servavit, et gratia constabili in omnem aeternitatem. Quamobrem tali affectu mueno Apostolos dum intueor, videntur mihi una ex parte mortui mundo, ut dixit Paulus (*Coloss. 3.*): *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo:* et ex altera instar corporum balsamo delibutorum immunes, et liberi ab omni lue et tate: immo suavissimum odorem exhales, sicut idem Paulus (*2. Cor. 2.*): dixit: *Quia Christi bonus odor sumus.* Et quemadmodum necesse est unctionem sacramenti confirmationis in fronte fieri, ut ait Papa Innocentius III. loquens de sacra unctione, cuius ritus ratio assignatur a Concilio Florentino in decreto Eugenii, per haec verba: *Ideo in fronte ubi reverendinae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue cruceis eius, quo Iudaica scandalum, gentibus autem stabilita fuit.* Frontem vero esse pudoris sedem constat ex verbis Dei, qui adversus quandam impudicam feminam

ita loquutus est? *Frons mulieris meretricis facta est tibi.* Quoniam ergo Apostoli quondam fugerant, et timuerant Christi nomen confiteri, nunc adventu Spiritus sancti audaces, adeo nomen eius, et partes tuentur, ut nomen Christi non solum in corde, sed in ore etiam, et in fronte gerant, et ostendent, iuxta illud Ioannis (*Apoc. 27.*): *Et in fronte eius nomen scriptum.* Hinc intelligitur, quid significet colapsus, seu alapa, quam Episcopus confirmatis impingit: nam quanvis vulgo putetur, id fieri, ut confirmatus memoria tenens se recepisse confirmationem, illam iterum non accipiat, quoniam sacramentum hoc iterari non potest; veritas tamen est, ut ait Concilium Coloniense in Enchiridio, alapam ab Episcopo dari, ut confirmatus intelligat se paratum esse debere ad iniurias pro Christi nomine hilariter, et animo sustinendas quemadmodum Apostoli toleraverunt: de quibus ait Lucas (*Act. 3.*): *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quod autem dicit Episcopus alapa percussus, *Pax vobis*, significat, in patientia iniuriarum positam esse nostrae conscientiae quietem, et tranquillitatem, sicut Christus dixit (*Luc. 21.*): *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Praeterea sicut Episcopus administrans sacramentum confirmationis frontem confirmati ungit digito, quem Latini vocant pollicem, quia pollet fortitudine; ita Deus illam Apostolorum admirandam confirmationem operatus est digito suo, qui est Spiritus sanctus: ita enim eum vocavit Christus, inquit: *In digito eius daemonia.* Idque sic interpretatur Augustinus (*l. 8. de consensu Evangel.* et in *lib. 2. de quaestionibus eorumdem*) in hunc modum: *Spiritus sanctus digitus Dei est ob partitionem donorum; in nullis enim membris magis apparet rartitio, quam in digitis.* Tandem sicut confirmati frontem lineae fasciola cingit, ut insideat, et firmetur chrisma, et fortius fronti adhaereat, nec non ut noscat innectus diligenter sibi servandam gratiam chrismae communicatae; pari quoque ritu Spiritus sanctus confirmans Apostolos in gratia sua, sic eius divinae unctionis effectum affixit, ut nunquam ab illorum animo recesserit, vel recedere poterit. Iubebat olim Deus suis sacerdotibus, ut tempore, quo sacerdotali munero fungerentur, lineis vittis capita velarent (*Ex. 44.*): *Vittae erunt in capitibus eorum;* nunc autem pro lineis vittis Apostoli accipiunt Spiritus sancti dona, quibus ne divinae gratiae unctio elabatur, vel decidat, muniuntur, et conservantur. Quod si ad sacramenti confirmationis formam accedamus, cognoscemus etiam non mimas, quam in materia pro nostro argumento esse convenientiam. Legitima forma chrismatum, et quam Concilium Florentinum praescripsit, haec est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Causa vero et ratio huius formae instituendae fuit, quoniam Christus per sacramentum confirmationis intendebat, ut qui sacramentum illud accipe-

ret, suorum militum numero adscriberetur, et sub eius vexillo millaret: ac propterea illum armat signo crucis, ut hostibus invictus, et inexpugnabilis reddatur. Haec certe hodie ad oculum fieri video, dum Christus tanquam universalis Ecclesiae dux vexilla diversarum copiarum discipulis suis, et adversus mundum copias suas educit, quibus regnum suum muniat, et circumdet, ut praedixerat per Zachariam (*Zach. 9.*): *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi: ubi exemplar hebraeorum habet: Castra ponam domui meae ex his, qui militant mihi.* Non tamen suos milites, ac duces Apostolos Christus aeneo thorace, non lorica, vel galea ex chalybe conflatis, sed infernis armis invictae fortitudinis, et intrepidum pectoris armatura communit. Quod ut manifestius insinuet, Spiritum sanctum ad eos mittit in forma ignis, qui elementorum est vehementissimus, et cuius in agendo victoria brevior, et certior est. Praeterea sicut vitarius educens de typo vas vitreum, postquam illud formavit, in ignem mittit, ut dureseat (aliter enim facile frangeretur) ita Christus, animadvertens discipulos suos vitro debiliores, et fractu faciliores (nam vitum voce non rumpitur, vox autem puellae finis dicens Petro, *Et tu ex illis es*, satis fuit ad amicitiam, et fidem Petri ergo Christum frangendam) ideo ut vasa haec fragilia dureseat, et robur accipiant, in divini amoris fornacem a Christo mittuntur, et quod humana industria non consequitur (nec enim novit hactenus vita vitrum temperare, ut nullis ictibus frangatur, aut laedatur) Christus hodie divinitus exhibet, quandoquidem illa mirabiliter haec prius imbecilla vasa, Apostolorum nempe pectora, temperavit, ut nullis tyrannorum tormentis cesserint, quoniam divini amoris ignis instar adamantis, quoniam illorum animus induraverat, sicut per Ezechielem promiserat (*Ezec. 3.*): *Ut adamantem, et silecem dedi faciem tuam, ne timeas eos.* Sed parum dico, cum fuerint Apostoli duriores adamantis, qui lapidiorum illum excolpitium instrumentis non difficulter cedit; invicti autem Apostoli nunquam Principum vel Regum comminationibus, et tormentorum doloribus succubuerunt. Mirabiliter hoc Apostolici pectoris robur Sponsa declaravit: *Crura illius columnae marmoreae, fundatae super bases aureas.* Ambrosius (*super Psalm. 119.*) per columnas aureas basis inintentes, intelligit Apostolos charitate inflammatos, quoniam ipsi sunt, quibus tota aedificii Ecclesiastici structura nititur: unde gentium Apostolus de Petro, Ioanne, et Iacobo inquit: *Petrus, Iacobus, et Ioannes videbantur columnae esse.* Quamol rem hodie dictum impletur Davidicum (*Ps. 64.*): *Ego confirmavi columnas eius.* Tremebant prius haec columnae, et non satis firmas nutabant, sed per gratiae confirmationem, qua Spiritus Domini illarum stabilivit, et roboravit infirmitatem, facti sunt Apostoli Samsone fortiores: nam sicut in sacris Bibliis narratur, quod *Irruit Spiritus Domini in Samsone*, et dilaceravit lionem, quasi hoedum in frusta

discerperet, et ligatus vinculis ea dissipavit, et quod mirabilius est, eodem Spiritu allatus columnas templi, et templum ipsum prostravit, sic Apostoli simili donati fortitudine rugientem lionem humani generis hostem diabolum debilitarunt, et coarvarunt, vincula pariter rumpentes, quibus irretiebantur, ne ad Christi nomen publicandum egredi auderent: ac denique columnas, quibus lex Mosayca fundata erat, nempe ritus, et caeremonias Iudaeorum eruerunt, ac dissipaverunt, et alias sicut olim Hercules, cum inscriptione *Non plus ultra*, crexerunt. Quemadmodum etiam per sacramentum confirmationis signum imprimitur in anima diversum ab eo character, vel signo quod in baptismo recipitur, quoniam haec nota fidei Christi distinguit ab infidelibus; et insigne illud confirmationis est nota militum valentiorum; sic etiam Spiritus Domini mirabilem Apostolicae gratiae characterem, sive notam sanctis dedit Apostolis, tanquam Christianae militiae strenuis militibus, vel potius ductoribus primis, et invictis, sicut docuit Paulus, breviter, quae diximus, omnia in hunc modum comprehendens (*2. Cor.*): *Qui confirmavit nos, et qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Nicolaus Lyrensis mirifice verba haec sic exponit: *Qui confirmat, Spiritus sanctus est, qui coniungit membra Ecclesiae ad invicem et capiti: unxit nos scilicet gratia sua, et qui signavit nos signo crucis in confirmatione.* Et nostro proposito convenienter explicare possumus signum characteris, qui per confirmationem imprimitur, et per quem Christiani exercitus milites, tanquam proprium insigne discernuntur. Concluditque Nicolaus super haec verba: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, notans acute duas esse pignoris proprias condiciones: unam ut tanti pretii sit, et valoris, quanti res ipsa, cuius est pignus; alteram, ut pignoris pretium, et dignitas signat spem assequendi id, pro quo pignus datum fuit. Ait ergo Paulus, et *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*: quod certe pignus tantae dignitatis, et excellentiae est, quantae ipsamet Dei Trinitas, quae obiectum est nostrae beatitudinis, pro qua Spiritus sanctus nobis est oppignoratus: pariterque eiusdem pignoris pretium, et valor certissimum nobis spem largitur ad summam

felicitatis, et aeternitatis gloriam pervenendi. Poterit tamen fortasse quispiam mihi obicere, quod pignoris etiam sit propria conditio, ut quando res, pro qua pignus datum fuit, obinetur, illico pignus restitatur, quod faciendum si foret, tam excellenti quod Spiritus sancti privandi videremur. Cui ego respondeo, non ideo carere dato pignore nos debere, quoniam Spiritus sanctus duplice ratione iustis infunditur, et donatur: uno modo, dum vivimus, quatenus pignus est aeternae felicitatis; altero, quatenus praemium, postquam de hac vita ad aliam remigraverimus. Quomobrem, etsi iustus Spiritum sanctum, propt est pignus promissionis restitatur, ingreditur tamen eius possessionem, propt est praemium per omnem aeternitatem. Quae omnia Paulus sapienter, et breviter inclusit in illis verbis: *Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad haec voluit in sacramento confirmationis datur patris confirmato, ut constat ex capit. in catechis. de consecratione dist. 4. ad quem pertinet instituire confirmatum, tanquam proprium sibi filium spirituale, et militem in Christianae militiae praesili tyronem, ob idque Doctores eum, qui hoc fungitur munere in confirmatione, vocant patrem spiritualem; sic etiam in consecratione Apostolorum Christus dedit Apostolis suis pro compo- nitur, et susceptor Spiritum sanctum, ut illorum esset magister, et doctor, iuxta eiusdem Christi promissionem (*Ioan. 16.*): *Ille docet vos omnem veritatem: vel secundum Graecum textum: Deducet vos in omnem veritatem.* Ab illo enim non solum instituit, sed etiam armati fuerunt Apostoli, et vere cum regio Propheta dicere poterant (*Ps. 143.*): *Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.* Demum sicut ex officio comparitris, vel susceptoris nascitur affinitas, vel cognatio spiritualis inter confirmatum, et susceptorem, ut constat ex Concilio Tridentino, sic Apostoli cum ipso Spiritu sancto videntur contraxisse cognitionem; unde non immerito dicere poterant, quod ex Poeta Arato Paulus adducit: *Ipsius enim et genus sumus*, facti Dei affines, et agnati per dona coelestia, et divina munera, quae illis Spiritus Domini communicavit. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.